



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Martyres Antiochenæ. 11. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

II. Mart. VITÆ SANCTORUM 163  
TUM tortores. Aërem, non CODRA-  
TUM, verberant. Nunc minas Jason  
Præfctus, nunc blanditias ingerit &  
promissa. Surdus est Martyr. Raptatur  
cum sociis ad supplicii locum. Ad epu-  
lum ire sibi visi sunt, atque ut seires, quan-  
to gaudio imbuti, cum cantu ivere, &  
illo, si judices vel Cælitum aures roga-  
ses, longè suavissimo. Jam verò cùm ca-  
pite sunt truncati, gaudio demuin dice-  
res exsiliisse. Terra quoque applaudens  
eo in loco, quem sanguine pinxerunt,  
fontem reddidit, sed qui Christianorum  
pro Christo mori volentium non pelle-  
ret, sed accenderet sitim. Ex Surio.

*Si vis habere ministeria Angelorum, fuge  
confertia seculi, & temptationibus resiste  
Diaboli. Renuat consolari anima tua in a-  
liis, si vis in Dei memoria delectari. S.  
Bern. serm. 4. in Ps. Qui habitat.*

### SS. MARTYRES ANTIOCHENÆ.

II. Martij.

A Nno partæ salutis CCC. VI. eò fu-  
ror Imp. Maximini barbarus Antio-  
chiæ pervasit, ut neque famem crude-  
lem extensi per craticulas Christiani len-  
toque igne assati exsaturare; neque  
sitim cruentam flumina jam sanguinis  
possent sedare. Tantum verò abfuit, ut  
ad hæc exhorresceret Christiana Phi-  
losophia, ut sponte suâ Numine utique

L 2 invi-

164 VITÆ SANCTORUM. 11. Mart.  
invitante) ad mortem per præcipitia &  
undas ruerent, promptiores ad excipiendam  
mortem, quām ad inferendam ty-  
rannus. Inter hos jure suo laudem hodie  
fert Matrona (Pelagiam Ambrosius di-  
cit) cum filiabus geminis. Hæ Antio-  
chiam ducendæ pulcherrimè se exorna-  
runt; iterque feminæ pede ac animo vi-  
rili sunt ingressæ. Ex itinere mater non  
quidem vitæ, sed tamen pudori virginum  
timere cœpit, non ignara quoties hic lu-  
dibrio tyrannis fuisset. Etiam è geminis  
tyrannis plus puer Amor. Maximino ter-  
rebat, cum Numen animos addidit, ut è  
ripâ in subiectum flumen generoso saltu  
se abjicerent, Venerem in regno suo ex-  
pugnaturæ. Diu, veluti lusit abunde cho-  
reas ducerent, secundo flumine descen-  
derunt. Tandem haustas inter preces vor-  
tex placide recepit. Corpora undæ ne-  
que exanima disjunxerunt, immò ut fa-  
vere Nymphis nostris scires, vestibus  
suis quām decentissimè tectas ad littus  
expoluerunt, cum littus æternum me-  
liusque dudum animæ tenerent. *Ex Am-  
broſ. & Euseb. Chron.*

*Cui in periculis palpitanti & trepidanti  
invocatum JE:U Nomen non statim fidu-  
ciam præstít, depulit metum? Cui in ad-  
versis diffidendi jamjamque deficienti, si  
Nomen adjutorii sonnit, defuis fortitudo?  
S. Bernard. serm. 15. sub. Cant.*

S. GRE-